(7.)

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUAEDAM DE

O P I O

COMPLECTENS.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
QUAEDAM DE
O P I O
COMPLECTENS:

QUOD
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS CHAFFEY,
ANGLUS,
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

Quarto Nonas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXIV.

PATRI CARISSIMO

HOC, QUALECUNQUE SIT, OPUSCULUM

EA, QUA DECET PIETATE,

CONSECRAT

FILIUS.

CONSOBRINO SUO

JOANNI WOOD, A. B.

COLL. SS. TRINIT. CANTABRIGIAE,

HOCCE TENTAMEN,

AMICITIAE ET AMORIS

PEREXIGUUM SED SINCERUM

TESTIMONIUM,

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

To J. Woodforde Esqre.

with the Authors best wishes.

TENTAMEN INAUGURALE

QUAEDAM DE

O P I O

COMPLECTENS.

AUCTORE ROBERTO CHAFFEY.

Ex plurimis rebus, quae materiam medicam constituunt ad morborum levamen atque medelam, nulla fortasse proponi potest, magis digna summa uniuscujusque medici attentione, sive ad frequentem ejus usum, sive ad validam ejus potestatem, in corpus humanum spectas, quam Opium. Diu notum est, et inter plerosque hujus aevi auctores, constat, in fere omnibus morbis, quibus genus humanum obnoxium est, paucissimis tantum exceptis, utile esse, aliquo saltem mali tempore, ac si non per se, certe cum aliis medicamentis conjunctum. Con-

tra quoque effectus perniciosi, qui oriantur ex alieno ejus usu, quin et lethales, si nimia copia, aut casu, aut ad vitam extinguendam sumptum fuerit, haud minus hanc rem penitus cognoscere medicos jubent.

Haec animo reputanti, mihi visum est opium seligere, de quo scriberem in tentamine meo inaugurali.

Pauca praefatus de compositione ejus chemica, in animo est, quantum brevitas tentaminis hujusmodi sinat, primo de iis disserere, quae ad opium morborum remedium, dein de iis, quae ad idem malorum in corpore causam, attinent.

DE COMPOSITIONE OPII CHEMICA.

Opium, praeter multa materiae genera ei cum aliis plurimis vegetabilibus communia, tria continet principia sibi propria, sive quae

saltem non hactenus, in ceteris naturae partibus, detecta sunt.

Principia, ei cum aliis multis communia, sunt Extractiva, Mucus, Fecula, Resina, Oleum fixum, Caoutchoucum, Substantia vegeto-animalis, Fibrarum vegetabilium reliquiae. Principia, ei propria sunt Morphia, Acidum Meconicum, et Narcotina sive Sal Opii.

Morphia principium alcalinum est, iis simile quae nuper detecta sunt, in Cinchona, Belladonna, Nuce vomica, aliisque pluribus substantiis vegetabilibus. Non secus ac cetera hujusmodi principia, crystallina est, vix solvi in aqua potest, facilius in alcohole, aethere, oleisque, salesque medios cum acidis efficit.

Comparari potest, a solutione opii aquosa, Ammoniam, aut Magnesiam addendo, aut ab opio soluto in acido acetico diluto, si ammoniae carbonas adjectus fuerit. Elementa ejus ultima sunt Oxygenium, Hydrogenium,

Carbonium, atque Nitrogenium. In Opio existere videtur, cum acido meconico conjuncta. Morphia sumpta pura, quoniam parum in ventriculi humoribus solvi potest, non magnopere animale afficit corpus. Soluta in alcohole, oleo, aut in acidis videtur ex experimentis quae SERTUERNER instituit, haud parum validior esse quam opium.

Acidum meconicum materia crystallizata est, colore albido, quae facile in aqua, et alcohole solvi potest, admoto igne liquescit, dein sublimatur; colorem rubrum praebet, mixtum cum iis ferri salibus, qui peroxidum continent; sales efficit cum potassa, soda, et calce conjunctum.

Tertia materia, opio propria, Narcotina nominatur, et etiam opii sal, sive Gallice "Sel "de DEROSNE" a nomine ejus Chemici qui primus eandem detexit. Multum dubitatur, an haec sit principium distinctum. SERTUERNER putabat eam morphiae meconiatem esse. Experimenta vero quae ROBIQUET instituit

hanc conjecturam auferunt, ostenduntque, ut videtur, narcotinum principium esse, omnino, a morphia, acidoque meconico diversum. Ille chemicus reperit, narcotinam posse extrahi ex opio, per aetherem, et alcohol; et postea, aequam morphiae copiam ex eodem opio posse comparari, ac si nihil ejusmodi factum fuerit.

Quum jam ad ea ventum est, quae ad opium morborum remedium attinent; primum proponam, quaedam de effectibus ejus generalibus in corpus, dein de modo operandi pauca dicam, tum ad morbos praecipuos enumerandos, in quibus usurpatur procedam.

DE EFFECTIBUS OPII GENERALIBUS.

Opii effectus in corpus humanum, non secus ac aliorum multorum medicamentorum, admodum variat, pro rebus variis: quarum praecipuae sunt: 1. Quantitas sumpta;

2. Modus quo in corpus pervenit; 3. Corporis conditio; 4. Idiosyncrasia.

1mo, *Quantitas.*—Parva opii copia, in sanum corpus recepta, effectus, quales a stimulantibus rebus, ut bene notum est, oriuntur, pulsûs frequentia et vis augetur, corporis calor major fit, sitis urget, homo auctum tum animi tum corporis vigorem sentit, sudor aliquando elicitur, quem in nonnullis corporibus cutis pruritus comitatur, quin et eruptio miliariae similis, ex opio sumpto, nonnunquam excitata est: * ceterae secretiones excretionesque plerumque parciores fiunt. Hos excipiunt effectus, languor, infirmitasque functionum vitalium, atque animalium. Ex multis auctoribus, fide atque attentione dignis, compertum habemus, Turcas, incolasque orientalium regionum, opium, propter dotes ejus exhilarantes, usurpare ebrietatis causa, et consuetudine, ad sumendam magnam ejus copiam valere. Si majori copia sumptum est, effectus ejus narcotici

* Tralles, Usus Opii, Vol. I. p. 158.

maxime conspicui sunt; quantitas ejus satis magna, corporis functiones impedit, somnumque affert; si maxima quantitate, delirium ferox, aut coma, dein spiritûs difficultas, tandemque lethum accedunt.

2do, *Modus quo in corpus pervenit.*—Plurima experimenta, in bestiis instituta, monstrant, extra omne dubium, opium in aqua solutum, vulneri impositum, citius, validiusque corpus afficere, quam si in ventriculum sumeretur:* quod adhuc magis fit, ubi ea so-

* Bestiae quaedam, praecipue istae quae herbis pascunt, opio in ventriculum recepto, vix tandem affici videntur. Hujusmodi exemplum, mihi, effectus opii variis modis in corpus introducti, indaganti, obvenit. Cuniculum feci devorare drachmam opii cum aqua in magma tritam. Nil praeter aliquid soporis concitatum est; post paucos dies, drachmae duae eodem modo sumptae sunt, sed bestia nil incommodi inde tulit. Opium forsan in his exemplis concoquitur, atque ita innoxium redditur. Veruntamen drachmam infusi opii (opii ʒi ad aq. ℥i.) in telam cellulosam ejusdem cuniculi femoris injecta, vix cum malo affecit. Hae bestiae igitur, opii actioni, aliquatenus saltem, resistere videntur.

lutio in venam magnam, ut jugularem externam, infusum sit, ita ut multo minor ejus quantitas, vitam extinguat.

3. *Corporis conditio.*—In nonnullis morbis, ut Tetano, Hydrophobia, Mania, aliisque, magna opii copia, nullo corporis detrimento, et aliquando nullo effectu manifesto, sumi potest, cujus dimidia pars, minusve, solita corporis conditione, hominem perimeret.

4. *Idiosyncrasia.*—In hoc, sicut in aliis nonnullis medicamentis validis, fit, ut ex aliqua ignota hominis constitutione, ne minima quidem quantitas assumi possit, quin symptomata maxime terrentia oriantur. Feminam novi, quae quoties granum unum, dimidiumve opii sumpsisset, vel vomitu, vel indiciis febris molestis, per haud parvum spatium perstantibus vexabatur; cutis calore simul aucto, eademque arida facta, siti, dolore capitis, vigilia, cum lingua albida, urgentibus; qui effectus oriri solebant, etiamsi,

(ut saepenumero tentabatur), opium cum aliis conjunctum erat medicamentis.

DE MODO OPERANDI.

Ad modum detegendum, quo opium proxime afficiat corpus animale, Physiologi clarissimi, tum antiquiores, tum recentiores operam contulerunt: et eorum diligentiae debemus, plurima magni momenti experimenta in variis animalibus, ad hanc rem comperiendam, inter quorum praecipua memorare oportet, ea quae Haller, Alston, Monro, Whytt, Crumpe, Wilson Philip, atque Orfila fecerunt. Varias atque contrarias antiquorum opiniones, de hac re, proponere longum esset; quare siquis easdem discere optaret, opusculum Doctoris Crumpe * evolvat.

Sed incipiendum est, ab opinione quam Ce-

* Inquiry into the Nature and Properties of Opium.

leberrimus CULLEN* de opii actione tenuit. Ei sententia erat, quandam corpori animali inesse potestatem, cui nomen Vis Medicatrix Naturae imponitur, quae effectibus alicujus noxiae causae, corpori admotae repugnaret: omnia narcotica, ut illi placuit, id agunt ut vires vitae imminuantur: quoties eadem magna copia sumpta sint, eum effectum, quem petunt, gignere posse; et inde indicia exhaustae potestatis in corpore oriri. Siquando vero minori quantitate in ventriculum pervenerint, Vim Medicatricem naturae seu potestatem conservatricem, ad eorum effectibus repugnandum valentem concitari, et signa auctae in corpore actionis inde afferri. Narcotica igitur directe sedare et indirecte stimulare corpus. Dr BROWN† contra, putavit narcotica stimulantia esse, facillime per corpus diffundenda; et phaenomena, quae inde oriuntur, hoc modo explicanda voluit: "It "is the necessary effect of stimulant opera-"tions to produce for a time increased ac-

* MURRAY's Materia Medica, p. 139.

† Ibid.

" tion; but as this is attended with a dimi-
" nution of vital power, the excitement soon
" ceases, and diminished action succeeds.
" These effects are proportional, partly to
" the absolute force of the exciting power,
" and partly to the rapidity with which it
" operates. If sufficiently strong, and at
" the same time it be diffusible and tran-
" sient in its operation, the excitement it
" produces is quickly raised to its highest
" point, and is as quickly followed by pro-
" portional languor and diminished action.
" Hence narcotics were considered as di-
" rectly stimulant, and indirectly sedative."

Dr Wilson Philip,* experimentis quae Alston, Whytt, Monro aliique instituerunt enumeratis, iisque a seipso factis reputatis, colligit effectus opii in corpus, sub his capitibus comprehendi posse.

---

* Experimental Essay on the manner in which Opium acts on the Living Animal Body, p. 97.

1. Actio ejus in nervos partis cui admotum fuerit.

2. Effectus ejus in cor, atque vasa sanguifera.

3. Effectus quos praestat cerebro proxime admotum.

Sed quoniam neque occasio postulat, neque hujus tentaminis propositum sinit, ut fusius de opinionibus Physiologorum disseram, conclusiones. quae mihi videntur praecipuae, ex eorum scriptis colligendas tantummodo proferam.

Experimenta plerorumque physiologorum, commonstrare videntur, opium in corpus agere maxime per absorptionem. Quod patet, non modo ex testimonio experimentorum analyticorum et syntheticorum, sed etiam ex eo quod compertum est, actionem ejus eo majorem esse, quo grandior sit vis absorbendi in parte, cui admota fuerit.

Effectus opii igitur ad duo capita redigi possunt.

A. Ad effectus in cerebrum et genus nervosum.

B. Ad effectus in fibras musculosas.

A. Prioris generis, bene nota actio quam opium in sensum et volitionem edit, exempla sunt.

B. Dr Wilson Philip putat, effectum opii in fibras musculosas, similem esse acrium atque irritantium effectibus. Sed huic opinioni assentire nolo; videtur enim musculi irritabilitatem multo citius extinguere, quam fieri potuit ex nimio stimulo *.

---

* Doctores Monro, Wilson Philip, aliique ostenderunt opium interiori cordis aut intestinorum parti admotum, ea protinus paralysi afficere; exteriori parti eorundem admotum, eundem effectum non edere; quod Nysten in cerebro quoque observavit. Haec, hoc modo, ut videtur, explicanda sunt; in priori exemplo, partes, de quibus

DE MORBIS IN QUIBUS OPIUM ADHIBETUR.

Ex effectibus opii jam propositis, quodammodo saltem colligi potest, quot sint morbi, et quae eorum sit natura, in quibus idem pro medela aut levamine usurpatur.

Ad dolorem sublevandum, ad sensum justo acutiorem imminuendum, ad actiones inordinatas compescendas, ad somnum conciliandum atque ad evacuationes nimias cohibendas, medici opio plerumque utuntur. In enumerandis morbis in quibus opium usurpatur, eo prope ordine utar, quem Nosologia Doctoris CULLEN suggerit.

---

agitur, perfectius medicamento imbuuntur, quia per earum substantiam, vasis, quae ad internam tendunt partem, vehitur.

IN INTERMITTENTIBUS.

Opium diu adhibitum est ad intermittentium curationem: Doctores Lind* vero, et Trotter†, primi docuerunt quantum prosit, et ipsi, magno cum profectu, idem usurparunt. Uterque autem horum medicorum, modo aliquantum diverso opium adhibuit. Doctor Lind solitus est dare opiatum medicamentum, horâ dimidia post caloris tempus inceptum: affirmatque, se hoc modo praecepisse in trecentis aegris et supra, et raro non multum profuisse. Opium, illo auctore, paroxysmum mitigat, breviusque reddit, dolorem capitis mitigat, calorem corporis temperat, sudorem copiosum elicit, somnumque salutarem conciliat. Doctor Trotter, ut videtur, primus opio usus est ante paroxysmum, quo ne incideret prohi-

* Essay on the Diseases of Europeans in Hot Climates.

† Medicina Nautica, p. 319.

beretur: et remedium illi videtur prospere cessisse.

Indicia vero inflammationis, atque alvus astricta, fortasse prohibere debent, et verum est quod Doctor Trotter scripsit: "There "are certainly however, intermittents to be "met with, where bleeding and purging are "indispensible, and the use of both opium "and bark will be found more effectual "after these evacuations.

IN FEBRIBUS CONTINUIS.

In omnibus febribus asthenicis, opium olim plurimum adhibebatur: hodie autem, inter peritissimos constat, non sumendum esse, nisi in ultimis morbi diebus, nisi cum aliis medicamentis conjunctum fuerit, quae prohiberent ne alvum constringat, corpusque nimis excitet. Quum jam morbus diu persiterit, utilissimum est, ad quaedam medendi concilia absolvenda.

1. Ut corpus excitet parvâ copiâ saepe iteratâ et cum vino sumptum.

2. Ut somnum conciliet majore copiâ datum.

3. Ut irritationem sedet.

4. Ut profluvia inordinata compescat.

Inter initia vero febrium, post venaesectionem aliasque exinanitiones idoneas, opium, cum sub-muriate hydrargyri conjunctum, non secus ac in aliis morbis inflammationem habentibus, multum a D^re ARMSTRONG * laudatur: ille autem prohibet quoties indicia testantur cerebri inflammationem, quia tum alvus, plerumque maxime torpet.

Dr. MASON GOOD † opinatur opium camphorâ sumptum minus turbare cerebrum et somnia creare, quam per se; affirmat etiam

---

* Practical Illustrations of Typhus and other Diseases, page 155. Second Edition.

† Study of Medicine, Vol. II. p. 212.

melius junioribus quam iis mediae aetatis convenire.

IN PHLEGMASIIS.

Quum hic morborum ordo plerumque febrem comitem habeat cum aucta vasorum actione, opium a plerisque alienum habetur, quia valet ad augendam cordis actionem. A Doctoribus Roberto Hamilton* vero et Armstrong, multum laudatur in plurimis acutis morbis cum sub-muriate hydrargyri conjunctum, ut aequilibrium circuitus sanguinis restituatur.

Haud improbabile est, Morphiam, quippe quae dotes sedativas, sine stimulantibus opii dotibus possideat, submotis febris indiciis

* Hamilton's (of Lynn Regis) Letter to Dr. Duncan, Medical Comment. Vol. IX., p. 191.

per commoda remedia, si dolor et irritatio adhuc urgerent ad somnum promovendum, utiliorem fore.

In hoc ordine, plures sunt morbi, Rheumatismus nempe, Podagra, et Ophthalmia, in quibus, opium, potissimum laudatur.

In Rheumatismo acuto, quum jam inflammationis signa subacta fuerint, ad opium confugitur quod dolorem levet somnumque conciliet. In chronica hujus mali specie, aliis praeterea consiliis sumitur; pro diaphoretico, cum pulvere antimoniali aut ipecacuanha; et externis partibus imponitur simul cum linimentis stimulantibus ad dolorem mitigandum.

In Podagra regulari, opium, a plerisque auctoribus rejicitur propter dotes ejus stimulantes, et quia alvum astringit. Dr. Scudamore * vero suadet adhibendum esse in

* On Gout, p. 223.

multis exemplis ad dolorem auferendum, qui, ut ille affirmat, non modo cor vasaque stimulat, sed etiam affectae partis arteriolas. Monet autem inflammationem, si vehemens sit, alvique duritiem submovendas esse priusquam assumetur. In podagra retrocedente magnopere prodest, et quidem in hoc malo, ei maxime confidendum est. Dr CULLEN * haec dixit, "In a case of the gout in "the stomach, I have by degrees gone to "the dose of ten grains twice a day; and "when the disease was overcome, the opium "was gradually diminished, till in the "course of two or three weeks, it was none "at all; and in all this no harm appeared to "be done to the system."

In forma Ophthalmiae chronica, vinum opii maxime utile esse Celeberrimus WARE proposuit in opere suo eximio de oculi morbis; in quo libro plura memorantur exempla, in quibus magno cum commodo adhibi-

* Materia Medica, p. 262.

tum est. Ille auctor dicit se hoc remedium usurpare, praecipue in iis exemplis, ubi a diuturnitate inflammationis vascula tunicae conjunctivae non modo dilatata fuerunt, sed etiam relaxata et torpida facta, oculo infirmo atque irritabili, ex vivida luce admissa, sed nullis urgentibus signis aut activae inflammationis aut plethorae generalis.

IN EXANTHEMATIS.

In hoc morborum ordine fere eaedem leges expediunt, quae jam in febribus propositae sunt; Opium plerumque alienum est, donec inflammationis indicia in primis diebus decesserint, postea eodem modo ac in febribus adhibetur.

In Variola maligna, medici opio utuntur praecipue in ulterioribus diebus, quo, vasorum actione versus cutem excitatâ, prohibeat ne virus e pustulis absorbeatur; et etiam ut temperet aut compescat Diar-

rhoeam, quae, ubi aeger multum infirmatur, nonnunquam lethalis evadit.

IN HAEMORRHAGIIS.

In activo Haemorrhagiae genere, opium plerumque parum convenit, quia hoc malum homines sanguine plenos, comitante pyrexia, occupat. In passivo genere autem affirmant admodum utile fuisse, praesertim cum astringentibus medicamentis conjunctum. Dr Reynolds * saepenumero prospere usurpavit simul cum plumbi sub-acetate, et Dr Latham † postea cum acetate plumbi commodissimum invenit. ‡ Sed prae omnibus haemorrhagiis, in ea eviden-

---

* Medical Transactions, Vol. III.

† Ibid. Vol. IV.

‡ Nonnulli tamen putant in conjungendo opio cum plumbi acetate decompositionem chemicam utriusque fieri, ita ut fortasse meconias plumbi et acetas morphiae formentur.

tissime proficit, quae post partum a contractione spasmodica aut torpore uteri incidit. Celeberrimus BURNS utilitatem medicamentorum ex opio confectorum, in omnibus haemorrhagiis uteri post partum accedentibus exposuit. Ita ille scripsit*: "They "are among the safest and best cordials we "can employ, and must in every instance "be exhibited. The dose ought to be pro-"portioned to the urgency, varying from "fifty to sixty drops. In some instances, "when the debility was great, a hundred "drops of the tincture, or, when the stomach "was irritable, five grains of solid opium "have been given at once, and afterwards "three grains every three hours till the pa-"tient was out of danger. Nor does this "practice ever prevent the contraction of "the uterus, or produce afterwards any bad "effect."

* BURN's Midwifery, p. 491.

IN PROFLUVIIS.

TUSSIS quae admodum molesta est hominibus, quos catarrhus tentat, et usque prohibet ne somno fruantur noctu, saepe sedanda est opio, vel trochiscorum forma, vel cum parva ipecacuanhae quantitate et demulcentibus conjuncto.

In Dysenteria, opium plurimum laudatum fuit, ad compescendum alvi desiderium molestum, et ad tormina mitiganda. Sed in primis hujus mali diebus febrem exacerbando, alvumque astringendo, aeque nocere potest ac in Enteritide ; ex plurimis enim cadaveribus sectis a Doctore BALLINGALL* aliisque, patet intestina et praecipue colon, in fere omnibus exemplis, admodum inflammata esse aut etiam ulcerata ; iidem quo-

* Observations on Fever, Dysentery, and Liver Complaints.

que ostenderunt venaesectionem, purgantia, et enemata in initio maximum afferre levamen; sed in ulterioribus diebus, Opium saepe cum laxantibus vel enematis conjunctum assumitur; et submota contractione intestinorum spasmodica, plurimum ad dejectiones promovendas confert: laudatur quoque simul cum diaphoreticis, ut in pulvere ipecacuanhae composito, aut pulveri antimoniali adjectum, ut diaphoresis generalis moveatur. Dr BALLINGALL* qüidem, prosperum ejus effectum ex eo maxime oriri judicat, quod cutis vasculorum actionem adjuvat.

NEUROSES.

IN Delirio Trementi.—Dr BURTON PEARSON † primus videtur discrimen proposuisse, inter Phrenitidem et Delirium tremens, cui nomen dedit Anglice *Brain-fever*, Opiumque pro praecipuo remedio in eo malo suasisse.

---

* Observations on Fever, Dysentery, &c.

† Edin. Med. and Surgical Jour. Vol. IX.

Dr Sutton* etiam plurima exposuit exempla, ex quibus patet, quantum valeat opium haud parva nonnunquam copia assumptum. In plenis corporibus quoque, venaesectionem, ipso saltem initio paroxysmi, utilem esse judicat, modo opium simul adhibetur. Si alvus astricta fuerit, monet purgantia simul praecipienda esse.

In Tetano.—In pluribus morbis ex ordine spasmorum, opium maxime prodest, et in nullo magis, quam in Tetano. In hoc morbo, magna copia assumitur, et procul dubio malum saepe sanavit; sed quoniam, haud raro in tali morbo spem fallit, medici ad diversas medendi rationes confugerunt, et adhuc in dubio est, quae ex his anteponenda est. Ut opium prosit in Tetano, jubent assumendum esse quam citissime et satis magna copia, ita ut potiùs sit attendendum ad effectus, quos edit in corpore quam ad quantitatem quae adhibita fuerit.

---

* Tracts on Delirium, Tremors, Peritonitis, Gout, &c. p. 66.

Satis enim compertum est, quoties valida irritatio in corpore superanda sit, tantam quantitatem posse in corpus recipi, nullo inducto somno, neque quoquam pernicioso effectu orto, ut pars ejus quarta minorve, solita corporis conditione, hominem interimat. Nonnulli auctores credunt multo magis proficere, quoties assumptum sit statim post frigidarium, aut balneum calidum. Siquando alvus astricta sit, cum purgantibus validis conjunctum est. Et in trismo infantium, simul cum laxantibus datum maxime expedit, quia intestinorum contractionem submovet, et hoc modo confert ad plenam alvi dejectionem faciendam.

In Asthmate.—In spasmodica asthmatis specie, Opium, relaxato spasmo, maximum affert levamen ; ideo celeberrimi auctores adhibendum esse suadent. Dr HEBERDEN haec dixit, " Interdum opium est praesen-
" tissimum hujus morbi remedium, ubi om-
" nia alia aegrotum frustrata sunt. Vidi
" asthmaticos animam fere agentes, qui usu

"docti sibi ipsis medebantur, sumptis secundo exitu duobus vel etiam tribus opii granis, qualem equidem modum dare non ausus essem."*

In Colica.—Ex diversis colicae varietatibus, praecipue spasmodica, et Colica Pictonum Opium postulant. Maxime plerumque prodest intestinorum spasmum levando, et simul cum purgantibus medicamentis, sicut Hydrargyri Sub-muriate, Oleo Ricini, alisve aut cum Enematibus purgantibus datum, magnopere ad alvum solvendam adjuvat. Opium quoque dicitur aliquando paralysin sanare, quae post Colicam Pictonum relinquitur, qui effectus a potestate ejus stimulante fortasse pendet.

In Diabete.—Opium magna copia validis astringentibus adjectum, in Diabete sumptum est; nonnulla exempla traduntur, in quibus haec curatio prospere cessit, sed in aliis plurimis spem fefellit.

---

* Commentarii, p. 61.

In Cholera.—Propter magnam ventriculi et intestinorum irritationem quae in Cholera urget, opus est Opium cito, et liberaliter praecipere. Nonnulli suadent, diluentia primo assumenda esse, quo materia irritans e ventriculo submoveatur. In regionibus torridis autem, ab ipso morbo initio jubetur; et quoniam vix retineri potest in ventriculo, sub forma enematis infunditur, et etiam linimentis, aut cataplasmatis adjectum cum Camphora epigastrio imponitur.

In Hydrophobia.—Quod ad Opii usum in Hydrophobia attinet, eadem fere dicenda sunt, quae jam sub Tetano exposui. Atque magna copia, citra aliquam functionem affectam, in utroque sumpta est. Quum jam pro comperto habetur, Opium in venam infusum multo validius, citiusque corpus afficere, licebit fortasse id remedium hoc modo experiri.

Plura alia mala facile enumeranda sunt, in quibus Opio uti convenit. Sed quoniam

jam ea memoravi, ubi hoc medicamentum pro praecipua parte curationis habetur, ea omittam, in quibus subinde tantummodo usurpatur, ne extra justos tentaminis hujusmodi limites procedam.

DE OPIO MALORUM CAUSA.

Proximum est, ut de opio malorum in corpore causa dicam. Effectus ejus evidentes nimia copia sumpti jam expositi sunt. Proponendum est nunc, notas quae, secto corpore, post mortem in conspectum veniunt, et curationem quae ad effectus ejus perniciosos prohibendos conveniunt.

DE MORTUORUM SECTIONE.

Multum abest ut notae, quae post mortem in hominibus qui opio interempti sunt, et in bestiis quae per physiologorum experimenta vitam amiserunt, semper eaedem

sint. Exemplum autem exponam, quod in libro * nuper edito invenitur.

Juvenis, vespere hora undecima, ad lectum sese recipit: hora dimidia pòst ingemuit, adeo sensu carebat, ut nullo modo excitari posset: oculorum pupillae fuerunt contractae; sudor copiosus profluxit; pulsus tardi infirmique fuerunt, sed ad duorum triumve minutorum profundum spiritum traxit, quo tempore, pulsus celeriores evaserunt. Sanguis e brachio emissus est, et Zinci Sulphas ad drachmam sumptus est: sed ex hoc neque ex aliis medicamentis adhibitis vomitus excitatus est. Ad horam quintam mortuus est, vitâ gradatim decedente citra convulsiones. Corpore ad sectionem prolato, videbatur e plaga in brachio, sanguinem profusum esse, et adhuc guttulas emitti. Corpus solitum cadaveris aspectum praebuit. Sanguinis effusione e brachio visa, vir, apud quem habitaret, dixit sanguinem detractum

* Cooke's Morgagni, p. 671.

venaesectione, non coagulatum fuisse. Cuncta intestina tenuiora solito magis vasculosa erant; submotus ventriculus, simul cum coena haud parvam solidi Opii copiam, continebat. Ventriculo diligenter inspecto, repertum est finem oesophagi infra laminam intimam, rubram esse, partem cardiacam fere totam fuscam esse, sed non aeque eo colore in omni parte tinctam, quia striae ubique sese extenderent, quae eo colore saturè fusco essent, a magnitudine pennae corvi usque ad cygni, sicut vasa sanguifera, permeantes, et plerumque eorum cursum sequentes. Etiamsi autem hunc aspectum striae ostenderent, a rugis ortae esse videbantur. Villi in partibus sature tinctis sanguine turgebant, ita ut ex levissima pressura exudaret. Mucus, qui hanc ventriculi partem tegebat, adeo glutinosa erat ut membranm referret. Versus pylorum ventriculus vario colore erat, pallido nempe, rubro et subfusco. Partes rubrae, magisque coloratae partes, abundabant villis prominentibus turgidisque. Hic aspectus ventriculi minime

inflammationem arsenico ortam referebat, neque mucosae glandulae majores solito erant. Pylorus et duodeni initium, inflammata esse videbantur, et hujus glandulae grandiores erant. Per totam superficiem intestinorum mucosam erythema sese ostendebat. Sanguis coagulatus inventus est in corde: vascula integumentorum capitis turgebant, et sanguis effusus erat inter tunicam arachnoideam et duram matrem, et per lobum posterum hemisphaerii dextri suffusum erat.

In hoc exemplo corporis sectio accuratissime perfecta, et notae diligenter animadversae esse videntur. Sed alii auctores non semper invenerunt easdem inflammationis notas. Quin et ORFILA* haec dixit: "No "alteration can be discovered on dissection "in the digestive canal of persons who have "taken narcotic substances; and if facts "contrary to this be met with in authors, "it is because they have been administer-

* ORFILA, Translation, p. 171.

" ing irritating substances capable of pro-
" ducing inflammation."

DE CURATIONE.

Plures substantiae propositae sunt, ad prohibendos effectus opii narcoticos; id autem quod imprimis efficiendum est, ut quam citissime ventriculus plene evacuetur. Hanc ad rem Sulphas Zinci, Tartras Antimonii aliaque usurpantur: quorum primus plerumque anteponendus est; faucibus simul digito aut plumula titillatis. Emetica neque in magna aquae quantitate solvendum est, neque ventriculus liquore implendus est, quia id, ut Orfila* admonuit, absorptionem promovet. Ille quoque suadet, quoties ventriculus excitari ad vomitum nequeat, in venam, unum aut duo Tartratis Antimonii grana, ex una duobusve aquae unciis soluta infundere. Auctores admonue-

* Toxicologie Générale, Vol. I.

runt quoties venenum aliquod sumptum est, tubum flexilem intromittere, atque id quod contineatur in ventriculo per idoneum apparatum exsugere. Exemplum in libro, cui nomen est "Transactions of the Apo- "thecaries," memoratur, in quo haec curatio prospere cessit, post magnam Opii copiam sumptam. Assidua animi attentio necessaria est ad prohibendum, ne homo in soporem profundum incidat, ex quo difficillimum erit, si omnino fieri possit, eum excitare. Orfila suasit sanguinis detractionem e vena jugulari; quae curatio a nonnullis aliis medicis utilis reperta est.

Affusio aquae frigidae quoque magno cum profectu usurpata est; aegrum enim excitat, vigilemque servat, saepenumerò quoque actionem emeticorum promovet, atque in exemplis pessimi ominis, efficiendo ut trahatur spiritus, vitam servat.

Acetum olim pro remedio efficacissimo adversus opii effectus habitum est; quod

Orfila dubitat, et ita de hac re scripsit, *
"Nous pouvons affirmer, d'aprés un trés-
"grand nombre des faits recueillis avec
"soin, que ces acides aggravent les symp-
"tômes de l'empoisonnement par l'opium
"toutes les fois qu'ils ne sont pas vomis."
Post vomitum autem acida laudat.

Dr Duncan, jun. monet alcalia adhibenda esse ut morphia insolubilis reddatur.†

---

* Op. cit. pag. 104.

† Audi Praelectiones.

FINIS.